

„In Sabbatis tantum per Annum posse, exclusis semper. Quadrag., Adv., et Sabbatis quatuor Temporum“.

Atque ita rescripsit, servandumque mandavit. n. 5009 ad 2 die 14. Junii 1845.

b) Lectio Nona.

In Officio SSmi. Nom. Mariae habetur Rubrica praecipiens, quod, si transferatur, IX. Lectio sumi debeat ex Officio B. M. V. in Sabb. Mensis Septembris. Estne hujusmodi regula sequenda dum idem Festum transferri debeat intra Mensem Octobris?

S. ipsa C. . . . respondendum censuit:

„Dicendum de Mense ad quem transfertur Officium“.

Atque ita rescripsit, declaravit servarique mandavit die 29. Martii 1851. n. 5157 ad 3.

c) Missa.

Vd.: *Missa vot. de B. V. M.* (quae missa? decr. n. 4361.)

d) Translatio.

Vd.: *Festum ss. Nom. B. V. M.* (dies; decr. n. 565.)

Si Festum Exaltationis SS. Crucis occurrat in dominica infra octav. Nativit. B. V. M., in qua celebrandum est festum Nom. B. V. M., tunc Off. Nom. B. V. M. transferendum est ad primam diem festo 9 ll. non impediam. S. R. C. n. 3115 die 20. Julii 1686.

Quotiescunque occurrit apud Franciscanos dies octava S. Rosae Viterb. in dom. infra octavam Nativ. B. V. M. fiat Off. de dicta die octava, protracto ulterius festo SS. Nom. B. V. M. S. R. C. 22. Jan. 1706.

e) Non transfertur.

Festum ss. Nominis B. V. M. quod pro regnis et Provinciis austriacis est

dupl. 2. cl. et Viena cum processione, maxima exteriori pompa, Indulgentiis plenariis ac ingenti populi concursu ob liberationem Viena ab obsidione Turcorum celebratur, in occurrentia cedere non debet festo s. Nicolai Tolent., quod est dupl. 2. cl. cum octava; octava enim non elevat ritum. In paritate autem ritus attendi debet tum major Dignitas B. V. M. tum major solemnitas celebrationis juxta decr. die 2. Mart. 1683. n. 4198 ad 4 die 11. Jan. 1749.

Ad dubium: 1. In occursu Festi Septem Dolorum B. M. V. cum Festo SSmi. Nominis ejusdem, de quo est persolvendum?

2. An in casu quod debeat transferri Festum Septem Dolorum, sit etiam concessa Octava transferenda?

Et S. eadem C. . . . Dubio satisfecit rescribens:

„Officium Septem Dolorum transferendum in sola occurrentia aequalis vel superioris ritus semper ad diem Dominicam et cum Octava juxta Decreta“. Atque ita rescripsit, declaravit servarique mandavit. n. 5161 die 29. Mart. 1851.

20) Observatio.

Vd.: *Fest. de Praecepto; Patron.* (electio; decr. sub die 15. Mart. 1698.)

Communitates vel Universitates civitatum seu locorum non tenentur ex praeepto servare festa ex voto eorumdem indicta, cum sub praeepto teneantur tantum personae voventes. S. R. C. 18. Apr. 1643.

21) Cum Octava. Non est celebrand.

Cf.: *Octava; Translatio festi cum octava; Patronus princip.* (transl. decr. 4553 ad 4.)

Non licere festa *Beatorum* cum Octava celebrare, nisi hoc expresse Sedes apostol. Regularibus cujuscunque

Ordinis et Instituti indulserit. n. 1653 die 5. Oct. 1652. Vd.: *Beati.*

Non potuisse nec posse tam Saeculares quam Regulares cujuscunque Ordinis et Instituti, etiam Societatis Jesu, excedere limites verbales indulgentiarum Sedis apostolicae super Beatificationibus praesertim in celebratione Missarum et Officii cum octavis, nisi hoc expresse Sedes apost. eis indulserit. n. 1654 die 5. Oct. 1652.

22) Extra suam octav. cadens.

Vd.: *Patronus* (transl., decr. n. 4553 ad 4.); *Annunt. B. V. M.* (Off. etc. n. 4487) *Transt. alicuj. festi cum octava. Octava Corp. Chr.* (privil. decr. n. 4530. 4110.) *S. Januarius* (Officium, decr. n. 4097.) *Sept. dol. B. V. M. mens. Sept.* (decr. n. 4842.)

Ad dubium: an in Ecclesiis Annunciat. B. V. M. Florentiae et in aliis sub eodem titulo, de festo Annunciat. translato post octavam, Officium sit tamquam de Titulari recitandum cum octava? S. C. resp.: *Negative.* n. 3590 ad 2 die 11. Junii 1701.

Si cadat festum s. Benedicti in hebdomada maj. et propterea debet transferri post Pascha, Benedictini non possunt celebrare hoc festum una cum octava. n. 3222 ad 1 die 10. Junii 1690.

Festa Sanctorum Francisci Solani, Didaci conf. ac Rosae Viterb., quibus concessa est octava, sunt in Panormit. Dioecesi perpetuo translata; quid de octava? S. C. resp.: Festa ab assignato cuilibet eorum die perpetuo amota esse celebranda sine octava, si de ea nihil remaneat, vel cum residuo illius, si de ipsa tantummodo dies supererunt. n. 4122 ad 1 die 16. Sept. 1741.

23) Origo.

Vd.: *SS. Trinitas* (fest. privil. decr. n. 4680 nota ad finem.)

Decreta authentica.

24) Pontificale.

Vd.: *Functiones Pontificales.*

25) De Praecepto.

Vd.: *Applicatio pro populo* (decr. n. 4532); *Vacatio ab operibus*; *Missa* (oblig. aud. etc.); *Patron. princip.* (estne fest. de praeepto?); *Officium* (ex Indulto concess.; decr. de die 2. Maii 1801.); *Fest. votiv.*

Pro observatione Festorum. Urbanus Episcopus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Universa per Orbem novit Ecclesia Romani Pontificis suprema incumbere sollicitudini, Dominicum gregem, ad aeternam dirigere salutem, et apostolica sic explicare praeepta, ut Fideles in viam mandatorum currere, et ad beatitudinem feliciter valeant pervenire.

§. 1. Plurimorum siquidem Venerabilium Fratrum Nostrorum Archiepiscoporum et Episcoporum per varias regiones constitutorum relatione ad Nos pervenit, Festorum multitudinem per singulas eorum Dioeceses et provincias adeo crevisse devotione, atque consuetudine nova in dies introducente, ut multi jam dubitare videantur, quatenam ex praeepto quaeve ex libera cujusque voluntate sint servanda, pietatis fervore ob nimiam eorumdem numerositatem tepescente. Quin imo et clamor pauperum frequens ascendit ad Nos, eandem multitudinem ob quotidiani victus laboribus suis comparandi necessitatem, sibi valde damnosam conquerentium, et quod summopere dolendum est, magno cum animi nostri moerore didicimus, tanta saepe saepius machinatum inimicum in Sanctos, ut ipsa multitudine, non ad aedificationem et ad laudandum in Ecclesiis Deum populi utantur, sed ad otia, vanitates et vitia frequenter abuti non formident, ita ut quae ad glorificandum divinum Numen sunt primitus insti-

tuta, temporis decursu inimicus homo corruerit et in magnam illius offensionem gravemque jacturam converterit animarum. Quamobrem dicti Venerabiles Fratres Archiepiscopi et Episcopi Nobis fecerunt humiliter supplicari, ut in praedictis de Apostolicae potestatis plenitudine congruam aliquam iniremus rationem.

§. 2. Nos itaque volentes ex debito Pastoralis Officii providere et sanctificationis Festorum certum deinceps firmare praeceptum, antiquam Ecclesiae in hoc consuetudinem sectantes, habitis prius frequentibus per doctos piosque Viros, quos ad hoc specialiter deputavimus, consultationibus, ut rei videtur gravitas postulare, Motu proprio et ex certa scientia meraque deliberatione nostris, nec non de praedictae Apostolicae plenitudine potestatis, hac perpetuo valitura Constitutione, de voto etiam Ven. Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Sacris Ritibus Praepositorum, Apostolica auctoritate decernimus et declaramus, infra scriptos dumtaxat dies pro Festis *ex praecepto* colendos esse, quos nempe vel ab initio veneranda sacravit antiquitas, vel universalis Ecclesiae probavit consuetudo, vel omnium gentium unanimis pietas veneratur. Dominicis scilicet dies totius anni, Nativitatis D. N. J. Chr., Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis, cum duabus pariter sequentibus feriis, Ascensionis, Pentecostes cum duabus pariter sequentibus feriis, SSmae. Trinitatis, Solemnitatis Corporis Christi, et Inventionis S. Crucis; nec non Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis Deiparae Virginis, Dedicationis S. Michaelis Archangeli, Nativitatis S. Joannis-Baptistae, S. Petri et Pauli, S. Andreae, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomae, S. Philippi et Jacobi, S. Bartholomaei, S. Matthaei, S. Simonis

et Judae, et S. Mathiae, Christi Domini Apostolorum, item S. Stephani Protomartyris, SS. Innocentium, S. Laurentii Martyris, S. Silvestri Papae et c., s. Josephi c. et S. Annae Deiparae respectivae Sponsi, ac Genitricis, solemnitatis omnium Sanctorum, atque unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno sive Provincia, et alterius pariter principalioris in quacumque Civitate, Oppido vel Pago, ubi hos Patronos haberi et venerari contigerit.

§. 3. Ad reliquorum vero dierum observantiam, quos hactenus, sive in universa Ecclesia, sive in quavis Natione aut Regno, Provincia, Diocesi aut loco quomodocumque, sive ex consuetudine, sive ex devotione, Christi Fideles tanquam festivos celebrarent, nequaquam ex praecepto ipsos teneri, dicta auctoritate tenore praesentium perpetuo etiam decernimus et declaramus. Ne autem dies festos a locorum Ordinariis, nimia aliquorum facilitate aut Populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat, eosdem Ordinarios in Domino monemus, ut ad Ecclesiasticam ubique servandam aequalitatem de cetera perpetuis futuris temporibus ab indictione sub praecepto novorum festorum studeant abstinere. Ut vero ea, quae superius expressa sunt, ferventiori, qua decet veneratione, ac devotione colantur, eisdem Ordinariis, antiquorum Canonum observantiam ad memoriam revocamus, in concedendis licentis laborandi diebus festis; quae quidem licentiae non aliter, quam ad formam praedictorum Canonum, ut praemittitur, concedendae, non nisi gratis, libere et sine ullo prorsus pretio aut pacto, directe vel indirecte concedantur, sub poenis etiam gravioribus nostro successorumque nostrorum arbitrio infligendis. Non intendimus tamen per hanc nostram Constitutionem dies feriatos circa ju-

dicialia in aliquo immutare, quos ad hunc effectum relinquimus in iisdem statu et terminis, in quibus erant ante ejusdem promulgationem.

§. 4. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae et sub indignationis nostrae poena, nunc, et pro tempore existenti nostro in Urbe ejusque districtu Vicario in spiritualibus generali ac universis et singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis aliisque Praelatis, ac quocumque generis locorum Ordinariis, etsi Cardinalatus honore fulgeant, ut has praesentes literas omniaque et singula in eis contenta singuli videlicet in eorum respective Dioecibus publicent et ab omnibus eorum subditis ad unquem observari faciant.

§. 5. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, etiam in Provincialibus Synodalibus et universalibus Conciliis editis et edendis specialibus vel generalibus Constitutionibus et Ordinationibus, ac singularum Provinciarum, Civitatum, Oppidorum et Locorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus longissimo tempore praescriptis ac observatis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, decretis declarationibus et literis Apostolicis aliisque gratiis, tam per ipsos Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac per Nos etiam motu simili, etiam consistorialiter, quam per Ordinarios Locorum cujuscumque qualitatis, etiam Cardinalatus honore, ut praefertur, fulgentes, Legatos etiam de Latere, et Sedis Apostolicae Nuncios, ipsius Provinciae, Civitatibus, Oppidis et Locis, aliisque quibuscumque etiam quantumvis privilegiatis personis, etiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerum-publicarum, Ducum aut aliorum Principum contemplatione vel intuitu, ac alias in contrarium forsitan quomodo-

libet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, et si alias pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales, idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, motu scientia et potestatis plenitudine paribus harum serie specialiter, et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, et earumdem praesentium transumptis etiam impressis et manu Notarii publici subscriptis, ac sigillo personae alicujus in Dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides, ubique locorum tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

§. 7. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrorum Decretorum declarationum, monitionis, intentionis, mandati, derogationis vel voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae 1641. Idibus Septembris. Pontificatus nostri Anno XX. n. 1411.

Festa de praecepto a S. R. C. hactenus approbata et in posterum pro omnibus Christifidelibus ad horas canonicas recitandas obligatis approbata, tenentur etiam Benedictini suis Bre-

viariis adjungere et illa de praecepto recitare. n. 3222 ad 1 die 10. Junii 1690.

Festa de praecepto declarata ab Ecclesia romana esse servanda in toto Orbe terrarum. n. 862 ad 2 die 8. Junii 1630.

Quando occurrit festum aliquod in Dioecesi, quod sit de praecepto quoad forum, Regulares de eo debent Off. recitare, nisi apud ipsos occurat eadem die aliud, quod festum sit ejusdem classis, ritus et majoris dignitatis. S. R. C. 5. Maji 1736.

26) Privilegiatum.

Vd.: *Octava privileg.*; *Octava Corp. Chr.* (privil.); *Festum ss. Cord. Jesu.*

27) Publicatio.

Vd.: *Epiphania Dom.* (festa publ.)

Festa *mobilia* in Epiphania Dom. publicare pertinet ad Canonicum juniorem. n. 336 die 16. Jan. 1607.

Publicationem festorum de *praecepto* esse faciendam per Curatos et nullo modo per Vicarios foraneos. n. 994 die 17. Decb. 1633.

28) SS. Redemptoris.

Vd.: *SS. Redemptor*; *Calendarium Congregat. SS. Redempt.*

29) Reductio.

Vd.: *Reductio festorum.*

30) SS. Reliquiarum.

a) Dies.

Ad dubium Benedictinor. Einsidl.: An Festum ss. Reliqu., quae asservantur in Ecclesiis Ordinis Nostri, celebrandum sit et qua die mensis Octobris? S. C. resp.: Affirmative et die 30. Oct. n. 4044 (2do) ad 19 die 23. Julii 1736.

Quando Vigilia Om. SSrum. venit in dominica et consequenter anticipanda est in Sabbatho, quod tunc erit dies 30. Octbr., in qua a PP. Benedictinis celebratur festum ss. Reliquiarum totius Ordinis, tunc a praedictis Monachis facienda est commemoratio tantum de Vigilia Omn. SSrum. S. R. C. Die 5. Maji 1736 *in Einsidl.*

b) Translatio.

Vd.: *Reliquia.*

Ad dubium Benedictin. Einsidl.: Cum festum ss. Reliquiar., quae in aliquibus Ecclesiis Ord. nostri asservantur, celebretur sub ritu dupl. 2. cl. in die dominica, quae tamen non est dies fixa, cum aliquando occurat in dominica festum s. Lucae Evang.; quaeritur: Quale festum sit transferendum? S. C. resp.: Non est transferendum Officium s. Lucae. n. 4044 (2do) ad 13. die 23. Julii 1736.

Officium Reliquiarum, quod celebratur prima dominica post festum s. Matthaei in Ecclesia Hispalensi, si talis dominica fuerit altioris ritus impedita, poterit in aliam diem non impeditam transferri. n. 4181 ad 6 die 7. Maji 1746.

Ad dubium: Officium SSrum. quorum reliquiae in unaquaque Ecclesia asservantur et coluntur, assignatum est (in Dioec. Piscien.) dominicae non impeditae et proximiori tempori Adventus. Quoniam haec dominica non impedita intelligitur eo, quando occurrit dominicale Officium, accidit, ut de mense ad mensem transferatur, et aliquando locum habuit mense Januario anno sequenti. Quid in casu agendum? S. C. resp.: nunquam transferendum sequenti anno mense Januario juxta pluries decreta. n. 4859 ad 4 die 3. Aug. 1839.

Cf.: *Officium* — transl. in sequ. annum. —

31) Repositio.

Vd.: *Transl. festi.*

In repositione duorum vel plurium festorum eundem ritum habentium et diversa die occurrentium, attendatur prioritas translationis, nisi attendenda sit major dignitas, quae attendi debet in illis tantum festis, quae exprimuntur in rubricis gener. de transl. fest. n. 7, et de concurrentia festorum sub. n. 2. illis verbis: *Inter festa aequalis ritus etc.* S. R. C. 13. Jun. 1682. *In una Ord. Min. de Obs.*

32) Ritus.

Cf.: *Festum* (dignit.); *Patronus* (festiv. gradus etc.) *Ritus* (Missae et Off.)

Festa, quae sunt ritus dupl., non celebrantur sub alio ritu, quam ritus dupl. minoris, nisi constet de diversa concessione; festa tamen secundaria Patronorum minus principal., si celebrantur *cum* solemnitate, habent in se naturam dupl. majoris et qualitatem dupl. minoris, si *absque* solemnitate peragentur. n. 4134 ad 2 die 1. Decb. 1742.

Usus celebrandi quam plura festa sub ritu dupl. maj. ex eo, quia sunt celebria in populo Cracaviensi, sustineri non potest. n. 4160 ad 1 die 22. Aug. 1744.

De ritu festi simplificando, vd.: *Officium* (transl. in sequ. annum etc.)

33) Omnium Sanctorum.

Vd.: *Patrocinium B. V. M.*

De diebus infra octav. vd.: *Dedicat. Eccl.* (Transl. decr. sub n. 3354).

De ejus commemoratione vd.: *Commemorat. octavar.* (ordo, decr. n. 4566.)

Octava Omn. Sanctorum tamquam dignior praefenda est octavae dedicationis ecclesiae. S. R. C. 5. Mart. 1693 *in Sabinen.*

34) Omn. SS. Ordinis.

Confessarii et Capellani *saecular.* Monialium Ord. s. Bened. in Missa superaddere non possunt verba: *Ordinis Nostri*, ut Monachi Ord. s. Benedicti infra oct. omn. SS. celebrantes festum Omn. SS. Ordinis Introitui missalis rom., orationibus et Collectis superaddunt verba: *Sub honore SS. Omn. Ordinis nostri.* n. 3467 die 15. Mart. 1698.

Ad humillimas preces Vice-Commissarii generalis *Ordinis Minor. Observantiae* Officium Omn. Sanctorum Ord. dicti, quod hactenus sub ritu dupl. min. recitatum fuit, in posterum sub ritu dupl. maj. II. cl. cum Praefatione, prout in festo s. Francisci, a Religiosis praefati Ordinis recitari posse concedit S. R. C. 22. Aug. 1722.

35) Separatio.

Cum S. Januarius fuerit declaratus a S. R. C. Patronus princip. Regni Neapolitani, hinc de festo dicti Sancti debet in eodem Regno fieri Officium sub ritu dupl. cum octava, sed de s. Januario tantum, non vero de sociis ejusdem, quorum Officium transfertur ad primam diem non impeditam. S. R. C. 12. Julii 1664, *in Monopolitana.*

Vd.: *S. Sebastianus* (Off. etc. decr. n. 3499.); *S. Marcus et Marcell.*; *Reliqu. insign.* (Officium, decr. n. 2812); *S. Eustachius.*

36) Solemne.

Solemnioribus *festivitatibus* adnumerari: Nativitatem s. Joann. Bapt. et festos dies, qui Paschaten et Pentecosten subsequuntur. Solemnioribus vero *functionibus*: Missam de fer. V. in Coena Dom., Missam et Vesperas tam Sabb. s. quam alterius, qui Pentecosten praecedit. S. C. die 3. Julii 1779; *in Vasionen.*

Festa *solemnia* esse praeter festum Paschatis Resurrectionis D. N. J. Chr., feriam V. in Coena Domini, festum Ascensionis D. N. J. Chr., SS. Apost. Petri et Pauli, festum Annuntiationis et Assumptionis B. V. M., festum Omn. Sanctorum, festum Nativitatis ac Epiphaniae Domini. n. 364 die 17. Novb. 1607.

Vd.: *Patronus; Functiones pontificales; Obligatio Episcopi celebrandi; Patronus princip.* (transl. decr. n. 4554 ad 2 nota).

37) Translatio.

Vd.: *Translatio festi.*

38) SS. Trinitatis.

Vd.: *SS. Trinitas.*

39) Votivum.

DE FESTORUM OBSERVATIONE.

Quaesitum fuit a multis Episcopis: an Constitutio super observatione Festorum comprehendat Festa ex voto alicujus Personae vel Communitatis introducta? Et interrogatis prius Consultoribus Sac. C., qui post latum suffragium recesserunt, Fr. Lucas dixit, constitutionem tollere festa de voto. P. Alciatus: festa de voto esse sublata quia votum non obligat successores, sed habendam rationem dictorum festorum. Abbas Hilarion: successores non teneri ex voto, sed ex directione Communitatis, accedente auctoritate Episcopi. Ideoque Constitutionem tollere festa de voto pro iis, qui non voverunt, secus pro illius qui voverunt. R. P. D. de Rubeis: festa de voto remanere in dispositione Juris communis. R. P. D. Sacrista: tolli ex vi clausularum derogatarum in fine Bullae, quae tollunt omnia statuta etiam juramento firmata. Emmus Cardinalis Sacchettus: successores non

obligari, voverentes obligari: Pamphilius: in eodem, et in derogatoriis tolli statuta juramento firmata; Reccius in eodem. Pallottus: teneri ad festa de voto qui voverunt, et non esse edendum Decretum generale, sed respondendum ad particularia; Franciottus: teneri, qui voverunt, uti particulares, et responsiones dandas tantummodo petentibus, vel dicta festa ponenda sub festis de devotione. Bragadinus in eodem; Caesarinus in eodem. Ideoque S. C. unanimi consensu Decretum desuper concepit tenoris sequentis:

Proposito Dubio ad instantiam quam plurium Reverendissimorum Episcoporum: an stante Constitutione S. D. N. Urbani P. VIII. super observatione Festorum, quae incipit *Universa*, Idibus Septembris 1642 promulgata, Universitates seu Communitates Civitatum seu locorum teneantur ex praecepto servare festa ex voto eorumdem inducta? Die 18. Aprilis 1643 S. R. C., referente Emo. et Rmo. D. Cardinali Sacchetto censuit: „ex dispositione Constitutionis praedictae Personas voverentes tantum teneri;“ quam S. C. sententiam sibi relatam SSmus. D. Noster laudavit et approbavit dixitque „intentionem suam fuisse per eam Constitutionem tollere festa de voto quoad vim praecepti, et reducere illa ad instar Festorum de devotione, reservata obligatione ratione personalis contractus ex vi voti provenientis ipsismet personis tantum, quae voverunt.“ n. 1444 die 18. Aprilis 1643; n. 3651 ad 1 die 23. Junii 1702. Vd.: *Fest. de praecepto.*

Juxta resoluta sub die 18. Apr. 1643 ex dispositione Constitutionis *Universa* personas *voverentes* tantum teneri, quam Congregationis sententiam Urbanus VIII. laudavit dixitque intentionem suam fuisse, per eam Constitutionem tollere festa de voto *quoad vim praecepti* et reducere illa ad instar festo-

rum de devotione, *reservata obligatione ratione personalis contractus ea vi voti provenientis ipsismet personis tantum, quae voverunt.* n. 1530 ad 1 die 4. Mart. 1645.

FIDELIUM

(Oratio).

Cf.: *Commem. pro Def.*

Ad dubium: an, quoties qui privatim celebrat de simplici vel reassumit missam Dominicae praecedentis in fer. 2., vel prima die mensis non impedita, teneatur dicere secundam orat. *Fidelium* tam in missa conventuali quam in caeteris privatis? S. C. resp.: Affirmative. n. 3595 die 13. Aug. 1701.

Vd.: *Missa conv. de requ.* (Estne praecept.?). *Oratio imp.* (dicenda; quaest. 4. decr. n. 4746).

FIDELIUM ANIMAE etc.

Non est omittendum in fine cujusvis horae: „*Fidelium animae etc.*“ quando post eam immediate dicitur missa, sed servandus adamussim textus rubricae 30 Breviarii rom. n. 4124 die 24. Apr. 1742.

Vd.: *Nativit. Dom.* (Officii temp. decr. n. 4656 nota ad finem.)

FIMBRIAE VESTIS
EPISCOPI.

Ad dubium: an Episcopo ascendente gradus et descendente Magister Caeremon. teneatur elevare fimbrias? S. C. resp.: Servetur Caerem. L. 1 c. 8. n. 3845 ad 5 die 27. Febr. 1712.

Vd.: *Pluviale* (fimbriae etc.); *Diaconi ass. Episc. in Cath.* (decr. n. 351).

FISTULA

(in Sumptione SS. Sanguinis).

Vd.: *Sumptio SS. Sanguinis.*

FIXATIO

(festorum).

Vd.: *Festum* (fixatio).

FLECTAMUS GENUA.

(Genufl. cor. SSmo).

NEAPOLITAN.

Quum Sacerdos Joseph Pignatelli Neapoli degens S. R. C. humillime rogarit, ut declarare dignaretur: an, quando Missa celebratur in Altari, in quo publicae Fidelium venerationi est expositum SSmum. Eucharistiae Sacramentum, et in Missa ipsa dicendum occurrit *Flectamus genua*, genuflexio isthaec fieri debeat erga SSmum. Sacramentum, an vero more solito ante Missale, ut a Rubrica praescribitur? Quumque S. C. in Ordinario Coetu ad Quirinale habita VIII. Kal. Oct. superioris Anni 1842 edixerit, ut in re exquireretur Votum alterius ex Apost. Caeremoniarum Magistris, iterum proposita instantia in novis Ordinariis Comitibus ad Vaticanum hodierna die coadunatis, Emi. et Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi ad relationem subscripti Secretarii respondendum censuerunt: „Juxta Votum Magistri Caeremoniarum, nimirum: in casu nihil innovandum, ac servandas Rubricas gen. titulo de Oratione num. IV.“ Atque ita servandum mandarunt; die 18. Febr. 1843. n. 4962.

FORMALE.

Vd.: *Pectorale Episcopi* (decr. n. 4235.)

S. FRANCISCUS.

1) Assisi.

a) Imago.

Vd.: *S. Antonius* (imago).

b) Inventio ejusdem Corporis